

guttini Intus. Alexander Papa VII. Dilecte fili salutem, et Apostolicam benedictionem. Inter alias nostrae pastoralis sollicitudinis curas, quibus praemur, illae non postremo cordis loco insident, quibus de cunctorum Religiosorum statu prospere dirigendo, assidue cogitamus, ad istum autem Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Ordinem, quem in visceribus gerimus charitatis nostrae paterna considerationis intuitum dirigentes, illud praecipue in optatis habemus, ut per tuae circumspectionis ministerium, illius personarum status salubriter ubique dirigatur, & ad debite reformationis normam in spiritualibus, & temporalibus reducatur, & si quid ab eisdem personis contrarium Ordini, & honestati praesumatur, ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum salutem, & religionis augmentum salubriter corrigatur. Ut igitur in commissum tibi Fratrum Eremitarum Generalatus Officium, ad Omnipotentis Dei laudem, & ipsius Ordinis propagationem, & utilitatem valeas eo salubriter exercere, quo Nostrae, & Apostolicae auctoritatis amplius suffultus fueris praedio. Nos motu proprio, & ex certa scientia nostra, te, de cuius integritate, doctrina, rectitudine, prudentia, dexteritate, & experientia specialem in Domino fiduciam habemus in toto Ordine praedicto, ac omnibus, & singulis illius Provinciis, ubi Fratres dicti Ordinis sunt, tam circa, quam ultra montes, & praecipue in infra scriptis Provinciis, & Congregationibus Calceatorum, ac Discalceatorum, Nostrum, & Apostolicae Sedis Commissarium, cum plena, libera, & omnimoda facultate, & auctoritate Commissarii Apostolici in toto Ordine praedicto apostolica auctoritate tenore praesentium constitutus, deputamus, ac tibi in virtute sanctae obedientiae praecipimus, committimus, & mandamus, quatenus si, & postquam ad partes ultramontanas, & praesertim Franciae, Aragoniae, Cataloniae, Bithycae, Castellae, & Portugalliae te personaliter conferre contigerit, omnes, & singulos ipsius Ordinis Provincias, & Congregationes tam Calceatorum, quam Discalceatorum, & speciatim Franciae Sancti Guillelmi Tolosani, Aquitaniae, Provinciae, & Narbonensis, Burgundiae, & Coloniae Provincias, Domosque, & loca quaecumque, eorumque Praesidentes, Conventus, & personas quascumque visitare procuras. Nos enim tibi durante tui Generalatus Officii tempore, tam Officii Generalis huiusmodi, quam etiam auctoritatibus, tam praedictarum Provinciarum Calceatorum, & Discalceatorum, quam etiam alia quaecumque Ordinis, & Congregationis praedictorum Domos, & loca ubicumque tam circa, quam ultra montes consistentia, eorumque personas tam in capitibus, quam in membris, ac etiam in spiritualibus, & temporalibus quoties expedire tibi videbitur, & placuerit visitandi, & super his quae inquirenda fuerint, inquirendi, ac in iis, quae reformatione noveris indigere, prout

necessarium fuerit juxta Canonicas Sanctiones, & regularia ipsius Ordinis Instituta, ac Sacrosancti Concilii Tridentini Decreta reformandi, corrigendi, & emendandi, ad rectitudinisque tramitem reducendi, & ubique inter religiosos ejusdem Ordinis, ac quarumcumque illius Provinciarum, & Congregationum, tam Calceatorum, quam Discalceatorum discordias, differentias, ac lites quascumque decidendi, ac terminandi, ac eosdem Religiosos ad pacem, & concordiam reducendi, ac personas dicti Ordinis etiam si praesidentes fuerint, si dissidiosis, scandalosae, aut alias criminose existant, juxta regularia ipsius Ordinis Instituta, & excessum qualitatem puniendi, necnon disculos in virtute sanctae obedientiae sub censuris, & poenis tuo arbitrio imponendis, ut a malis inceptis desistant, & ad cor redeant monendi, & requirendi, seu moneri, & requiri faciendi, & si spretis monitionibus huiusmodi incorrigibiles fuerint, elapsis terminis per te, vel subdelegatum tuum statutis, eosdem tanquam membra putrida ab eodem Ordine per te, vel alium expellendi, & abiciendi, necnon quae tu praemissis decreveris, firmiter observari, ac omnia, & singula alia, quae juxta Instituta, & consuetudinem Ordinis huiusmodi ad Omnipotentis Dei honorem, Religionis augmentum animarum salutem, & Christianidelium bonorum exemplum, & alias circa salubre regimen, & felicem successum Domorum, locorum, ac personarum eorumdem necessaria noveris, seu quomodolibet opportuna faciendi, statuendi, & exequendi, ordinandi, & disponendi, necnon contraditores quoslibet, & rebelles quoscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, praerogativae, nobilitatis, excellentiae, vel conditionis fuerint per excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ac depositionis ab eorum Officiis, aliasque formidabiliores, de quibus tibi videbitur expediens sententias, censuras, & poenas sublato diffugii, & appellationis obstaculo etiam auctoritate apostolica compescendi, & si opus fuerit auxilium brachii secularis invocandi plenam, & liberam auctoritate praedicta facultatem concedimus per praesentes, & ut reformatio huiusmodi juxta sincerum cordis nostri desiderium liberius subsequatur, omnes, & singulos Principes, Proceres, Barones, & alios Dominos temporales, ac quorumcumque parlamentorum Consiliarios, necnon Communitates, & Universitates in Domino requirimus, & hortamur attente; Venerabilibus autem Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, Praelatis Ecclesiasticis, ac personis in dignitate ecclesiastica constitutis, Nostrisque, & Apostolicae Sedis Nunciis districte mandamus quatenus Divinae Majestatis intuitu, ac pro eorum in hanc Sanctam Sedem reverentia, ac devotione ac religionis zelo Te benigno desiderio, & pro affectu sic sincere commendatum suscipiant, ac de tuto tibi accessu, & libe-

ro redditu provideant, & alias benevolis favoribus efficaciter assistant, ita quod praesentes debitum effectum sortiantur, & Ordo ipse in statu prospero, ac felici successu valeat inibi salubriter conservari. Praecipientes nihilominus in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae, ac suspensionis a divinis, necnon privationis omnium, & singulorum privilegiorum, & indulgentiarum tam in Provinciis, quam in Congregationibus praedictis a Sede Apostolica concessorum, & Maris Magni nuncupatorum, ab absolute omnium officiorum, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in dicto Ordine obtinenda sententiarum, censurarum, & poenis per singulos non parentes incurrendis, omnibus, & singulis dicti Ordinis professoribus quoscumque gradus, aut conditionis extiterint tam conjunctim, quam divisim, ut tibi ultra obedientiam, quam tibi jure ipsius Generalatus Officii exhibere tenentur, etiam tanquam Commissario nostro efficaciter pareant, & obediant, ac eisdem professoribus sub similibus censuris, & poenis ne ad seculare forum, vel auxilium per se, vel alium directe, vel indirecte, mediate, vel immediate quovis praetextu, seu quaesito colore recursum habeat, & huiusmodi Commissionem nostram, seu quavis alia mandata, & scripta Apostolica in dicto Ordine impedire quoquo modo praesumant inhibemus. Decernentes irritum, & inane quicquid fecus contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon privilegiis, indultis, libertatibus, exemptionibus, & Literis Apostolicis eisdem Congregationibus, etiam ex observantia, alias quomodolibet nuncupatis, domibus, locis, & personis praedictis in genere, vel in specie, & favore regularis observantiae, etiam per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, & forsan per Nos, & Sedem praedictam, aut illius Legatos, sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu, & scientia similibus, etiam Imperiali, vel Regis consideratione, & ex quibusvis causis etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis, & forsan quod ipse persona per alios, quam eorum Priores Provinciales, visitari, & reformari non possint disponentibus. Quibus omnibus, & singulis etiam si illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent praesentibus pro sufficienter expressis habentes, quoad praemissa specialiter, et expresse derogamus, illaque adversus praesentes nullatenus suffragari eadem auctoritate, decernimus, contrariis quibuscumque

Aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 26. Junii 1657. Pontificatus nostri Anno III.

G. Gualterius a tergo autem.

Dilecto filio Paulo Luchino Pisaren. Priori Generali Fratrum Eremitarum Sancti Augustini,

Loco sigilli.

S. L.

De Culto Divino.

Primo. Officium Divinum tam diurnum, quam nocturnum horis a temporibus statutis summa cum veneratione juxta ritum S. R. E., Constitutiones, & Ceremoniale Ordinis nostri ab omnibus debite, ac devote recitetur, quod ut sine errore aliquo persolvatur, quotidie in fine prandii Lector Mense, audito surgendi signo, alta, & intelligibili voce enuntiabit, ac etiam, singulis diebus Sabbati, & in Vigilia cujuslibet festivitatis tabulam Officiorum omnium per hebdomadam, vel in solemnitatibus occurrentibus deputandorum servandam.

Secundo. Matutinum, quod per totum anni circulum (excepto triduo ante Pascha) juxta laudabilem consuetudinem hujus Conventus, & Collegii dicetur media nocte singulis diebus Dominicis, & festis primae, & secundae classis, integre decantetur; in reliquis autem diebus festis, & in festis secundae classis non festis, saltem laudes item decantentur, dum autem integre decantabitur Matutinum, ad illud surgere teneantur omnes, & singuli per nostras Constitutiones non exempti, aut non legitime impediti, ceteris vero diebus, quibus non decantatur media eorumdem, pars per alternas hebdomadas ad illud dicendum surgere teneantur.

Tertio. Quod item peracta Oratione serotina, illico dicatur in Choro ab omnibus, & singulis, qui vel ex privilegio, vel ex justo impedimento non tenentur ad illud surgere media nocte Matutinum quoque de Beata; quando dicendum erit in Choro dicatur post Orationem serotinam, cui intersint omnes, & singuli etiam exempti, nemine proflus excepto.

Quarto. Singulis diebus ab omnibus per mediam horam Orationi Mentali vacetur in Choro, ab iis quidem, qui dixerunt Matutinum media nocte, statim eo persoluto; ab aliis vero omnibus, qui non media nocte interfuerunt Matutinis ab hora sexquinta matutina, usque ad sextam, [exceptis tamen festis, in quibus media nocte integre decantatur Matutinum; in eo enim persolvendo insumuntur duae horae, & adhuc Matutinis horis plures decan-

Clausula.

Derogatio
contrariorum

tantur Missæ Majores; unde illis diebus non conventualiter, sed private pro temporis opportunitate, unusquisque vacabit Orationi Mentali.

Quinto. Pro festis diebus ii, qui sunt de corpore studii alternis vicibus juxta ordinem scholarum, numerum studentium, & dispositionem Patris Prioris interfit officio divino; ceteri vero juxta ea, quæ disponunt Constitutiones nostræ *part. 1. cap. 3. §. 7., & 8.*; A Litanis vero Beatæ Mariæ Virginis, quæ singulis diebus Sabbathi per totum anni circulum immediate post vespèras, & tempore Quadragesimæ post completorium processionaliter per claustra decantantur, nullus cujuscumque qualitatis, & tituli abesse audeat.

Sexto. Feriis sextis inter octavas Paschæ, & Pentecostes non secus, ac in reliquis feriis sextis per annum cantetur Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis de gratia vulgo *Benedicta tu*, nuncupatum.

Septimo. Quando fores Ecclesiæ sunt aperte, & quotiescumque Divinum persolvitur Officium in Choro, aut Missæ celebrantur, nullus audeat deambulare per Ecclesiâ, aut per Claustra, vel alio loco publico, in quibus tunc adsunt seculares; neque etiam aliis temporibus extra communem recreationem huc, vel illuc per Conventum, Claustra, Hortum, aut per Dormitoria vagari, sed unusquisque orando, vel meditando, legendo, aut studendo in propria Cellula remaneat. Contrafacientes severe a Patre Priore arguantur, vel etiam puniantur, quia in re ejusdem Patris Prioris conscientiam graviter gravamus.

Octavo. Singulis feriis sextis peracta Oratione serotina, & antequam Matutinum de fero incipiatur ab omnibus juxta morem istius Conventus, & Collegii in Choro communis habeatur disciplina, cum recitatione Psalmi: *Miserere mei Deus* Antiphonæ: *Christus factus est*, atque Orationum: *Respice quasumus Domine*, & aliarum, quæ habentur in Ceremoniali Ordinis; qui vero a tali disciplina adfuerint dicto Matutino, vel alia ipsis commodiori hora eodem modo faciant disciplinam, sive in Choro, sive in Ecclesia.

Nono. Nullus Sacerdos ad secular. confessiones audiendas presentetur locorum Ordinariis, approbandus nisi debita ætate 30 annor., & capacitate præditus, ac insuper rigorosum prius subierit examen, idem dicendum de Prædicatoribus; cum istis tamen re mature inspecta, poterit Pater Prior juxta locorum, & temporum exigentiam, dispensare super ætate, quatenus scilicet ante trigésimum annum de licentia Ordinariorum tempore prædicationis Adventus, & Quadragesimæ audiant Confessiones extra hanc nostram Ecclesiâ.

Decimo. Nullus etiam ad Sacros Ordines mittatur quin peracto Philosophiæ cursu per aliquod tempus Theologiæ vacaverit, ad Presbyteratum vero Ordinem, nullus item mittatur, nisi ad minus per an-

num integrum eidem Theologiæ operam dederit. Cæterum ad nullum Sacrum Ordinem aliquis promovendus Patribus consilii proponatur, quin prius rigorose tam de Philosophiâ, quam de Theologiâ, atque etiam de cantu examinatus per Examinatores infra deputandos, fuerit approbatus.

Undecimo. Semel in anno unusquisque Religiosus hujus familiæ per octo, aut decem dies juxta Patris Prioris dispositionem, & unusquisque complexionem vacet exercitiis spiritualibus; nec aliquis admittatur ad studia tum Philosophiæ, tum Theologiæ, nec etiam ad aliquem Sacrum Ordinem quin prius istem exercitiis spiritualibus, ut supra, vacaverit.

§. II.

De Disciplina, ac regimine Conventus.

Primo. Cum nedum bonum nomen, sed etiam bona temporalia istius nostri Conventus, & Collegii adeo in dies decreverint, ut nisi de opportuno provideatur remedio, brevi ad extremum redigetur exitium, fietque in suporem, & sibilum omnibus transeuntibus, quorum malorum causas serio in hac nostra visitatione indagantes, non aliunde quam ex non sufficienti Religiosorum, tam in spiritualibus, quam in temporalibus experientia, originem trahere comperimus. Cum enim juxta illius antiquas leges non admittat de Familia nisi vel eos, qui in ipsa professionem emisserunt (quos Conventuales vocant) vel Studentes, vel Officiales, illi vero, sive Conventuales perpauci sint superstitēs, Studentes autem transactis sex annorum studiis, quinimo & graduati gradibus susceptis eorumdem legum virtute redituri sint in proprias Provincias, & supervenientibus aliis Studentibus locum cedant: hinc fit, ut vix Sacerdotio initiatur, quin statim, & Verbum Dei difeminent, & Sacramentum Confessionis administrent, in nostræ sacre Religionis maximum dedecus, & contra præscriptum nostrarum Constitutionum, hinc etiam fit, ut nulli fere adsint, qui observatis annorum curriculum de rebus Conventus, Collegii, & Ecclesiæ comprobata habeant notitiam, nec juvat, quod ex diversis Galliæ Provinciis assumantur Officiales etiam aliquando provectæ ætatis, quia aut penitus ignorant Ecclesiæ, & Monasterii statum, aut multoties minus idonei inveniuntur, unde parum communi utilitati incumbunt, aut denique quia ex gravitate, & multitudine negotiorum animo cadentes, officiis ipsis commissis, non ut par esset, accurate vacant. Quibus malis pro viribus occurrere debentes, pluries super iis, verbo, & scripto, auditis omnium Galliæ Provinciarum Patribus Provincialibus, cum earundem, & Conventuum Generalium deputatis, ad id per Nos in hoc Monasterium convocatis expresse, & congregatis, & præterea omnibus fere religiosis hujus familiæ, prout fufius in præmio horum

Decretum.

horum Articularum continetur; nullum certe aliud efficacius remedium excogitare potuimus, quam ex eisdem Provinciis determinatum assumere Patrum numerum, ipsosque perpetuo affiliare in hoc majori nostro Conventu, & Collegio, quatenus ejusdem rebus tum spiritualibus, tum temporalibus sedulo invigilent, bonis exemplis, ac documentis Juvenes comprimant; seculares ædificent, & ad amicos, & devotos Ordinis conservandos, multiplicandos, & maxime ad habendam gratiam Majestatis Christianissimæ, Principum, Magnatum, & primariæ auctoritatis hominum istius Curie, & Civitatis Parisiensis, sedulo laborent; quod ut suaviori modo fiat censuimus ipsos Patres affiliandos pro hac prima vice, a Nobis assumendos esse eorum numero, qui nunc in ipso Conventu, & Collegio commorantur, cum præsertim ipsorum virtus, capacitas, sufficientia, & in rebus agendis deservitas, sit Nobis satis comprobata.

Secundo. Iis ergo, & aliis justis de causis animum nostrum moventibus, auctoritate utriusque Officii Nobis commissi hos Patres de facto assumimus, nominamus, declaramus, & constituimus, prout declaratos, constitutos, nominatos, & assumptos esse volumus filios hujus Conventus, & Collegii; nimirum Rev. Patres Magistros facultatis Parisiensis Franciscum Viogue, Latum Bardaul, Andream Abayl, Honoratum Lambrochum, Nicolaum Diet Gabrieleum Simian, Bachalaureos vero Nicolaum Robino, Thomam Floren., & Vincentium Mathes; & præterea Joannem Lacroix Procuratorem hujus Monasterii, Petrum Royer Depositarium, & Aphrodisium Remes pietatis directorem. Damus insuper plenam, & omnimodam facultatem, ac potestatem admodum Rev. Patri Magistro Thomæ Guicheus, apud Nos pro Provinciis Galliæ Assistenti, & tunc Priori hujus Conventus, & Collegii, ut ad beneplacitum suum nomine nostro, nominet, assumat, & constituat filios; alios etiam quatuor Patres sibi beneficos, ut cum supraddictis duodecim a Nobis jam nominatis componatur numerus sexdecim Fratrum Sacerdotum; quos omnes sexdecim sic a Nobis jam nominatos, aut auctoritate nostra, ut præsertur, nominandos nunc, prout ex tunc, sicut etiam alios omnes in posterum eligendos, & constituendos, ut infra perpetuo affiliamus in hoc Conventu, & Collegio cum omnibus juribus, prærogativis, privilegiis, gratiis, præminentis, ceterisque aliis, quibus per nostras Constitutiones frui, potiri, & gaudere solent filii aliorum Conventuum Generalium, ea tamen lege, ut si quis ipsorum aliquando non religiose vixisse, aut aliquid commississe deprehendatur (quod Deus avertat) propter quod juxta Ordinis Constitutiones e Conventu expellendus esset de hujusmodi excessu, vel excessibus debite convictus, tunc Reverendiss. Pater Generalis pro tempore ipsius, vel ipsos remittat in Provinciam, *Ball. Rom. Tom. VI. Par. V.*

vel Provincias, cujus, vel quarum erant originaliter filii.

Tertio. Cæterum ne in posterum superfit aliqua dubitandi occasio quomodo, & ex quibus Provinciis assumi debeant hujusmodi affiliandi; sexdecim Patres mandamus, & decernimus, ut sexdecim loca (ac unica vice dumtaxat excepta) equaliter dividantur inter ipsas Galliæ Provincias, quæ in hoc Conventu, & Collegio habuerint sexdecim studentes, vel saltem quatuordecim, inter quos sint decem, aut ad minus octo Fratres, quorum nullus ad Sacrum Presbyteratum Ordinem promoveri debeat, nisi per duos annos integros legibus Fratrum, juxta morem istius Conventus, & Collegii satisfecerint, & insuper admittant Magistros in Sacra Theologia Facultatis Parisiensis cum ipsorum privilegiis; ita ut nec plures, nec pauciores.

Ex illo sexdenario numero, uni, quam alteri Provincia tribuatur, sed singulis Provincie sit equalis distributio: unde occurrente vacatione ex prædictis sexdecim locis jam, ut præsertur, repletis, vel replendis, habita vacatione hujusmodi equalitatis repleatur ex Provincia, cujus erat filius, qui morte, vel alio casu defuerit modo non excedat equalitatem, quo casu replendus erit ex alia Provincia juxta ordinem jam, inter ipsos statutum, quæ nunc ad equalitatem non habuit. Præterea statuimus, ut quotiescumque, & quomodocumque aliquis ex prædictis sexdecim locis vacaverit Pater Provincialis illius Provincie, cui ad equalitatem competere debet hujusmodi locus vacans, de assensu Definitorii Capituli Provincialis, vel Congregationis intermedia, vel etiam Capituli privati, tres Patres in scriptis presentabit Patribus Consilii istius Majoris Conventus, & Collegii nostri, ut ex illis tribus ipsi Fratres Consilii unum eligere valeant pro occupando loco vacante; quodsi prima vice non sequatur electio denuo alios tres eodem modo presentabit Patribus Consilii, & quoad usque sequetur electio, de quo statim certiores faciant Reverendissimum Patrem Generalem pro tempore existentem.

Quarto. Conventus maneat sicut fuit hætenus Generalis, & Generalissimum, Collegium, cura, regimini, & protectioni nostris, & Successorum nostrorum immediate subjectum, administrandum tamen regendum, & gubernandum tam in spiritualibus, quam in temporalibus per Superiores, & Officiales, sive ex præfato Conventu, & Collegio, ut supra affiliatos, vel affiliandos, sive ex Provinciis, & Communitatibus Galliarum assumendos, & eligendos, modo tamen admittant Magistros in Sacra Theologia Facultatis Parisiensis cum ipsorum privilegiis, & in hoc celeberrimo studio habeant sufficientem studentium numerum juxta dicta numero præcedenti.

Quinto. Unde non solum qui a Nobis, & Successoribus nostris; verum etiam qui a patribus Provincialibus Provinciarum.

G g

Gal.

xatas juxta qualitatem percussiois, & personæ percussæ, ac scandali, cum primum in suam Provinciam pervenerit subiturus; idcirco mandamus Patri Priori pro tempore, ut de hujusmodi excessu quam primum moneat V. P. Provinciale illius Provincie, cujus erit filius jam expulsus, quatenus ipse V. P. Provincialis, statim atque ad illum pervenerit delinquens, poenas condignas absque ulla dispensatione subire compellat; super quibus oneramus tum Patris Prioris, tum Patris Provincialis conscientias.

Decimonono. Et quia major fere pars redditus Conventus, & Collegii absumitur in viaticis solvendis Officialibus, tam in eundo, quam redeundo, quando ex absentibus Patribus eliguntur, ideout huic malo saltem in parte, & quantum possumus, etiam de opportuno provideamus remedio; mandamus, & præcipimus, ut deinceps depositarii, semper eligantur ex præfato sexdecim Patrum affiliatorum numero, nimirum per turnum Provinciarum, juxta formam superius præscriptam; ceteri vero Officiales, ac etiam Prior relinquatur Patrum Consilii libertati, & prudentiæ, ut quotiescumque de illis faciendum erit electio an magis conducatur ad Dei gloriam, & bonum regimen istius Conventus, & Collegii, si eligantur ex absentibus, quam ex presentibus, vel viceversa, modo tamen, ut inter ipsos fervetur, sicut supra, Provinciarum turnus.

Vigesimo. Conventus non tenebitur aliquas facere expensas pro graduandis, exceptis Professoribus, qui actu per quatuor annos integros digne, & laudabiliter iudicio Patrum Prioris, & Consilii professi fuerint, si tamen tunc habuerint Conciones tempore Adventus, & Quadragesimæ, elemosinæ ex eis provenientes, quæ in deposito Conventus reponere tenebantur ad vitandam proprietatem, pro dictis impensis insumentur; elemosinæ vero ex quibuscumque aliis eorum Concionibus provenientes, & generaliter elemosinæ omnes tum Studentium, tum Officiariorum, aliorumque omnium, ex Misis, Concionibus, piorum oblationibus provenientes, & aliæ demum quocumque titulo cuilibet irrogatæ, cedant omnino in communionem Conventus, & Collegii bonorum, nec cuiquam liceat quidpiam sibi ex illis retinere sub crimine, & poena proprietatis, & furti; sed integre teneantur omnia consignare inter manus Depositariorum efficaciter in deposito reponenda, & asserenda, ut in communem Conventus, & Collegii usum impendantur.

§. III.

De Clausura, Refectorio, & aliis Officiis.

Primo. Quoniam manifesta experientia innotescit, nihil magis perfectioni regulari adversari, & bonam famam cujuslibet

bet Monasterii perdere posse: quam nimia Fratrum per vicos, & plateas Civitatum, circuitio: idcirco ad disciplinam hujus Conventus, & Collegii stabilitatem stricte præcipimus Patri Priori pro tempore, ut hac in parte sedulo invigilet observationi nostrarum Constitutionum par. 2. cap. 13., nec alicui concedat facultatem eundi in Civitatem, nisi ex gravi causa prius ab ipsomet cognita, & examinata, et gravi assignato Socio. Invigilet præterea ut Janitor juxta easdem Ordinis Constitutiones diligenter, & fideliter suum exequatur Officium, secus faciens illum publice arguat, puniat, & si non se emendaverit e Conventu irremissibiliter expellat.

Secundo. Nemini quavis præeminentia, gradu, aut dignitate polleat licitum sit e Conventu egredi, quin prius nomen suum annotet in tabula foribus Janitoris appensa, in qua omnium Patrum, & Fratrum nomina de more conscribuntur, quod idem in reditu de more observant; contrafacientes a Patre Priore graviter puniantur, & cum nihil perniciosius homini Religioso dari queat, quam si indulgeat potius ventri, quam menti, unde hujusmodi per nostras Constitutiones par. 3. cap. 12. §. 8. infames declarantur, quare sub poena manifeste rebellionis mandamus, atque præcipimus ne aliquis audeat bibere, aut comedere in Civitate, aut in suburbiis, neque adire quamcumque domum pro gaudio, aut cœna sumendis, nisi urgente gravissima causa, & adhuc accedente Patris Prioris licentia, quam nullo modo concedere debet, nisi honestis, & bene morigeratis Religiosis, quando scilicet a parentibus, vel ab amicis particularibus, aut a benefactoribus Conventus, & Collegii invitantur.

Tertio. Nulli concedatur abesse a mensa communi, nisi infirmis, vel valde senibus; quod si aliqui rationabili accedente causa a Patre Priore obtinuerint licentiam extra Refectorium prandio, vel cœna excipere aliquos parentes, amicos, vel benefactores, aut aliquos fratres hospites, id faciat ad parvam hospitum aulam, aut in aliquo alio loco communi, numquam vero in Refectorio, nec in Cellis Fratrum quorumcumque sive intra, sive extra dormitoria existant; qui autem hoc nostro spreto mandato contrafecerint poena arbitraria per Patrem Priorem graviter puniantur.

Quarto. Secundæ Mensæ invigilet modo Pater Prior, modo Superior, aut aliquis alius ad hoc munus specialiter deputatus, quatenus religiose, & modeste omnia ibidem peragantur. Ut autem omnes simul, & semel absolvant primam mensam peracta lectione Sacræ Scripturæ, & in diebus veneris lecto Capitulo sexto Regulæ S. Patris nostri Augustini, claudatur Refectorium, quod ex illa hora nemini aperiatur comedendi causa, sed expectet secundam mensam, quæ circa finem primæ pulsabitur, sicut in ea benedictio, & gratiarum actiones, sicut in prima sine cantu tamen

Decretum de
Clausura Re-
fectorio, &
aliis officiis.

tamen, cui mensæ secundæ deputabuntur Ministri ad legendum, & interveniendum, sicut primæ, in qua item non minus servabitur modestia, quam silentium.

Quinto. Tam in favorem studiorum, quam præsertim ad tollendos abusus furtive, & clam edendi Carnes tempore decurrenti, e festivitate omnium Sanctorum usque ad Adventum Domini Ecclesiasticum indulgemus Patri Priori, ut pro tempore dispensare valeat super eisdem. Carnibus edendis, præterquam diebus Mercurii, quibus sicut, & diebus Veneris, & Sabbati jejunium rigorosum mandamus observari; ut autem salubris jejunandi frequentia non minuatur, carniarum tantum esum in jejunii Ordinis nostri limitamus, itaut non interdicitur mos istius Civitatis Parisiensis edendi ova, & lacticia in prædictis jejuniiis, quæ non occurrunt tempore Adventus Ecclesiastici, & Quadragesimæ, ac in Vigilia Sancti Patris nostri Augustini, in quibus jejuniiis ab esu ovorum, & lacticiniorum abstinere omnino volumus, & præcipimus, declaramus pariter quod quando in Constitutionibus nostris habetur, quod aliquis fructus, vel etiam fructum panis in parva quantitate ministrari debeat, in collationibus non ita rigorose intelligendæ sint, ut disjunctim unum, vel aliud, sed conjunctim utcumque administrari possint.

Sexto. Si quis e Refectorio, Infirmeria, Camera hospitum, Culina, vel ex alia officina publica utensilia communia detulerit etiam cum animo reportandi pro prima vice publice arguatur, pro secunda severe corrigatur; pro tertia vero ei disciplina imponatur, quod si non se emendaverit augeatur ei poena ad Patris Prioris arbitrium. Si autem in tantum progressus fuerit malum, ut illa, vel aliquid aliud furatus fuerit, de hoc latrocinio confessus, vel convictus tanquam fur e Conventu perpetuo indispensabiliter rejiciatur. Denique qui ob infirmam valetudinem victu communi sustentari nequiverit, in suam remittatur Provinciam.

Septimo. Ut Patres Confessarii præsertim, qui studio concionum simul occupantur, magis assuecant casibus conscientie a Lectore Mensæ, prandii, & cœnæ, quotidie legatur de aliquo Summis inter Bibliam, & Librum spiritualem, nec etiam tempore refectionis concedatur silentii solvendi facultas.

§. IV.

De Dormitoriis.

Decretum de
Dormitoriis.

Primo. Singulis diebus quibus Matutinum media nocte integre decantatur, pulsato signo silentii post orationem serotinam convenient omnes Fratres ante Sacellum Beatæ Mariæ Virginis, quod situm est in ipsorum majori Dormitorio, ubi juxta antiquum morem genibus flexis devote recitabunt ejusdem Beatæ Mariæ Virginis Li-

tanas, cum solitis antiphonis, & orationibus; quibus persolutis claudantur omnia Dormitoria, quorum claves deferantur Patri Priori, vel alteri de ipsius mandato per totam noctem servandæ; quando vero media nocte decantatur Matutinum, & ad illud dicendum alternis vicibus surgunt Fratres; tunc Litanie dicantur, ut supra, ab illa dumtaxat media Fratrum parte, quæ non est surrectura; quod si aliquis ausu temerario seras portarum Dormitoriorum, vel alicujus alterius porte, aut etiam arcæ Conventus fregerit, vel claves adulterinas habuerit absque mora irremissibiliter e Conventu expellatur.

Secundo. Qui sine expressa Prioris licentia introduxerint seculares in aliquod Dormitorium, vel Cellam aliquam quamvis propriam, duplicatam poenam Constitutionum Ordinis secunda part. Cap. 7. §. 5. latam, contra eos Religiosos, qui intrant Cellam alterius Fratris respective subeant, neque in Cellis Dormitoriorum, neque etiam in ipsis Dormitoriis, nisi in Calefactoriis publice habeatur ignis, neque sine lumine audeat quis de nocte incedere, neque etiam, & quidem sub poena ejectionis e Conventu affigere candelam ligno, vel alteri materiei combustibili, vel etiam dormiendo accensam relinquere: unde non utantur candelabri, nisi ferrei.

Tertio. Præter Magistrum pietatis, qui in exercitiis spiritualibus ex officio instruere tenetur prædictos Fratres; Pater Prior, alii tres, vel quatuor, vel etiam plures, si opus fuerit, deputet, qui eisdem Fratres studiosissime de Ecclesiæ cantu instruant; prædicti autem Fratres nunquam e Dormitorio egrediantur, aut per Conventum vadant, nisi bini, & bini; contrafacientes graviter puniantur.

Quarto nec item fas sit in prædictis Fratibus gallice loqui, etiam in assignatis sibi Dormitoriis, vel extra cum sociis, vel Sacerdotibus nostris, nisi aliquando a Patre Priore licentia ad id ipsis concedatur, nimirum dum habentur recreationes in orto, vel alii fecus facientes dure puniantur; non sinat Pater Prior ea mobilia, quæ sunt in Cellis eorumdem Fratrum, ac etiam Patrum a quocumque vendi, alienari, vel alio asportari, & hoc sub poena proprietatis ementibus, vendentibus, alienantibus, aut asportantibus infligenda; unde per numerum Cellarum signentur ipsarum mobilia, grabata, fragula, mensæ, sedilia, cæteraque suppellectilia omnia; quare si post hæc aliqua in alicujus cella suo numero signata non reperiantur suppellectilia, habitator illius Cellæ tanquam fur habeatur & puniatur.

§. V.

De Studiis.

Primo. Ad studia tam Philosophica, quam Theologica nullus admittatur, nisi prævio rigoroso examine approbetur, nimirum pro Philosophia de humanioribus literis

Decretum de
Studiis.

literis, & pro Theologia de Philosophia : ad neutrum vero nisi sit bene morigeratus, & exercitiis spiritualibus per octo, aut decem dies secundum Patris Prioris dispositionem prius vacaverit : quod etiam præstare tenebitur, dum a cursu Philosophiæ ad cursum Theologiæ erit transiturus.

Secundo. Examinatores pro admittendis ad cursum Philosophiæ, erunt Patres Prior, Regens studii, Baccalaureus, & ejusdem Philosophiæ Professor; pro admittendis vero ad Theologiam, ad Sacros Ordines, ad Conciones, & ad Confessiones audiendas præter Patres Priorem, Regentem, & studii Baccalaureum, erunt etiam duo Theologiæ Professores, cum Directore pietatis, & duobus Graduatis familiaribus a Patribus Consilii in principio cuiuslibet triennii ad hunc effectum deputandis; ea tamen lege, ut Pater Prior una cum Patribus Regente, & altero Theologiæ Professore ad prædicta examina facienda procedere valeat, & debeat aliis Examinatoribus ad sonum Campanellæ monitis, & convocatis non accedentibus.

Tertio. Bis saltem singulis annis habeatur examen publicum per supradictos Examinatores, & etiam alios quoscumque Graduatos, qui huic examini interesse voverint, ad probandum, quinam in studio proficiunt, & qui non proficiunt, ut isti a Collegio expellantur; discolori autem, & irreligiosi cuiuscumque Provinciæ, seu Communitatis ter publice moniti, nisi respiciant de consensu Patris Prioris, Regentis, & Directoris pietatis respectu Fratrum, & studii Baccalaurei respectu Sacerdotum a Collegio irremissibiliter expellantur, & sine mora in suas Provincias remittantur.

Quarto. Studentes duobus annis Philosophiæ, & quatuor Theologiæ incumbent, quibus sex annis transactis quicumque ad Baccalaureatum promoti non fuerint, in suas Provincias remittantur. Cæterum ne aliquis per fraudem possit sibi prorogare, huiusmodi tempus ordinamus, ut unus specialiter deputetur liber, in quo nomina, & cognomina, ad studia accedentium, cum die, & anno eorum receptionis a studiis Baccalaureo annotentur, apud quem huiusmodi liber de more remaneat, qui etiam in prædicto libro conscribetur quando, & sub quibus Professoribus cursum philosophicum, & Theologicum peregerint, ut inde testimonium pro graduandis in facultate Parisiensi desumi possit; annotet quoque in præfato libro, quo tempore habita fuerint supradicta examina, & quomodo uniusquisque iis satisfecerit.

Quinto. Ne torpeant studia huius Conventus, & Collegii unica dumtaxat (singulis biennii, & quidem die quarta, vel tertia Augusti, quando Dominica incidit in prædictum diem quartum fiat Baccalaureorum electio, quod biennium incipiet die quarta Augusti Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo, ut scilicet Baccalaurei electi tempore opportuno valeant se sistere sacre facultati Parisiensi, & pri-

mo examini per ipsam faciende debite, ut par est, satisfacere, unde qui ad Baccalaureatum a Patribus Priore, & Consilii electi fuerint Nobis, & Successoribus nostris pro tempore confirmandi presentabuntur, ut postea cum nostris literis confirmatoris sacre se sistant, tempore debito, facultati Parisiensi, in qua admitti, juxta eisdem facultatis leges cursus suos, seu licentias perficient, post adeptum vero licentiæ gradum per quindecim tantum menses a die eisdem licentiæ adeptionis, voce, privilegiis consuetis, & mansionem in hoc Conventu, & Collegio gaudebunt; transactis autem huiusmodi quindecim mensibus, in suas Provincias revertentur, nec amplius erunt de Familia huius Conventus, & Collegii nisi a Patribus Consilii pro tempore ad aliquod officium eligantur, & hoc quidem, ut sequentibus Baccalaureis, & Magistris novis locum cedant.

Sexto. Ad Baccalaureatum non eligantur, nisi Sacerdotes etiam si fuerint in Provinciis, & in defectum Sacerdotum, eligi poterunt Fratres modo antequam de tentativa respondeant possint initiari aliquo sacro Ordine. Nulli vero eligantur nisi habuerint cætera requisita juxta leges, & consuetudinem receptam huius Conventus, & Collegii, nimirum, ut cursum Philosophicum per duos, & Theologicum per tres item circiter annos, atque actus studii in hoc Conventu, & Collegio pie, & laudabiliter absolverint; & insuper habuerint testimonia Professorum, ipsorumque Magistrorum pietatis de vita, moribus, & cantu, atque doctrina, Patribus Consilii prius exhibenda.

Septimo. Et ne in electione Baccalaureorum aliqua inferatur Provinciis injuria, vel habeatur personarum acceptio; in singulis Electoribus (quo ad fieri poterit) assumetur aliquis ex qualibet Provincia, si minus in sequentibus electionibus assumatur aliquis ex Provincia, quæ in præcedentibus electionibus nullum habuit Baccalaureum, modo in ea recipiatur aliquis capax tali gradu juxta præscripta in superiori numero, & sic successive in aliis electionibus ex iis Provinciis, quæ, ut dictum est, habuerint in hoc studio sufficientem numerum Studentium, & admiserint Magistros in sacra Theologia, cum eorundem prærogativis, & privilegiis.

Octavo. Munus Regentis juxta antiquam consuetudinem huius Conventus, & Collegii, successive exercent, qui officio Baccalaurei studii, & presentati fuerint, qui a Patribus Consilii eligentur per turnum Provinciarum, quorum uterque per annum officio Regentis fungetur. Unus ad minus sit Lector in Philosophia, cujus partes erunt bis in die lectiones tradere, & explicare, serotinasque concertationes suis Discipulis semel item in die habere, desides, ac in Classe delinquentes corrigere; quod si Officium suum recte, ac diligenter peregerit, honorificum aliquod ei tribuetur pro unico actu facultatis Parisiensis, si ali-

aliquando a Patribus Consilii in Baccalaureum eligi contingat.

Nono. Duo ex sacra facultate Parisiensi graduati sint Theologiæ Professores, duobus, aut etiam tribus triennii si ita Reverendiss. Patri Generali pro tempore (ex Patribus Consilii huius Conventus, & Collegii assumendis) duraturi videbitur expedire, qui Scholaribus suis bis in die legant, unus scilicet de mane, & alter post meridiem, & successive quotidie de sero in conferentiis eos exerceant, ad studendum compellant, atque negligentes, aut nolentes in iis, quæ studii sunt ipsis obedire, ad Patres Priorem, & Regentem deferant, quatenus poena condigna etiam ejectionis e Conventu, & Collegio puniantur; Insuper caveant a peregrinis, & novis opinionibus præsertim ne in suis lectionibus, explicationibus, & disputationibus quidquam immisceant, quod explicite, vel implicite videatur sapere propositiones Jansenii damnatas, & hoc quidem sub pœnis contentis in nuperimis Constitutionibus Apostolicis Urbani VIII., Innocentii X., & Alexandri VIII. feliciter regnantis, quas ab omnibus recipi, acceptari, & servari absque ulla tergiversatione sub eisdem pœnis precipimus, & mandamus.

Decimo. Ne ex varietate, & multiplicitate Statutorum, quæ pro temporum vicissitudine, rerumque exigentia huc usque a Prædecessoribus nostris posita sunt ulla amplius dubitationis, vel litigii superstit occasio, ea omnia quomodolibet (ut etiam diximus in præmio horum decretorum) nisi auctoritate Apostolica emanata, approbatione firmata, & roborata fuerint, annullamus, cassamus, & irritamus, prout annullata, cassata, & irrita duplici nostra auctoritate volumus, & declaramus; precipientes propterea omnibus, & singulis Nobis inferioribus in meritum salutaris obedientiæ, & sub rebellionis nostræ, ac expulsiōis e Conventu pœnis, & in subsidium excommunicationis majoris late sententiæ quam hac unica pro trina canonica monitione præmissa in his scriptis, licet invitati, ferimus, ut istis nostris Decretis in omnibus pareant, atque obediant, ne quovis pretextu, vel quæsito colore directe, vel indirecte per se, vel per alios contra aliquid moliri, attentare, vel ex eis immutare, moderari, restringere, ampliare, infirmare, cassare, vel illorum publicationem, & executionem impedire, aut retardare sub eisdem pœnis, vel præsumant, secus autem si quid in contrarium quavis auctoritate intra nostram Religionem (Capituli generalis excepta) tentatum, vel statutum, vel innovatum fuerit, omnino irritum, cassum, & invalidum censeatur, & haberi volumus, decernimus, declaramus, atque mandamus.

Undecimo. Verumtamen si aliquæ difficultates aliquando forte oriantur circa prædictorum Decretorum intelligentiam, & mentem nostram, significabuntur Reverendissimo Patri Generali pro tempore,

cujus interpretationi standum omnino erit. Denique in reliquis observantiis in iis Decretis non expressis, ab omnibus, qui nunc sunt, aut in posterum erunt, & manebunt in hoc Conventu, & Collegio de familia respective serventur Summorum Pontificum sanctiones, & speciatim Ordinis nostri Constitutiones; unde tota Nobis propria tradita vivendi norma. Cæterum ne huiusmodi Decreta in oblivionem tradantur, mandamus Patri Priori moderno, ut ea registrari faciat in libro studii, & tam ipsi, quam suis Successoribus Prioribus precipimus in meritum Spiritus Sancti, ut futuris perpetuis temporibus semel saltem in anno publice coram toto Conventu legenda curent, & mandent. Datum in nostra Visitatione huius nostri Majoris Conventus, & Collegii Parisiensi die vigesima prima Mensis Octobris Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono.

Frater Paulus Luchinus Prior Generalis, & Commissarius Apostolicus.

Loco * Sigilli.

F. Aurelius Mancinus Secretarius Ordinis.

Magister Frater Petrus Lanfranconus Anconitanus totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Prior Generalis.

Ad ea, quæ pie, & sancte ad consequendam, & augendam disciplinam regularem statuta sunt, eo libentius intendimus, quo ex inde majorem Dei gloriam, & Christianissimum utilitatem proventuram fore dignoscimus. Quare cum Reverendissimus Pater Magister Paulus Luchinus Prædecessor noster personaliter visitans majorem Conventum, & Collegium nostrum Parisiense, ut illud ad primariam tam bonorum, & Sacrarum Litterarum Sapientiam, quam monasticæ disciplinæ institutum reduceret, aliqua, partim ex Constitutionibus Ordinis, partim ex institutis aliorum PP. Generalium Prædecessorum nostrorum, partim propria ipse ediderit decreta, quæ tamen ex diversis emergentibus casibus non dum fuerunt publicata, proinde ipsorum originalia idem Reverendissimus Pater Magister Paulus Luchinus Nobis remisit, quatenus de opportuno in hoc Capitulo Generali curaremur procedi remedio. Quibus proinde h s omnibus per Nos præfato Capitulo expositis, censuit deputandos esse aliquos graves Patres, qui visis, & examinatis huiusmodi decretis, referrent, prout de facto deputavit Admodum RR. PP. Magistros Hieronymum Valvasonum Mediolanensem totius Ordinis nostri Procuratorem Generalem, & Josephum Interamensem Italicæ Assistentem, quorum postea auditis, & exacte ponderatis votis, idem Capitulum Generale statuit præfata decreta esse confirmanda, sicut illa omnia, & singula confirmavit, & quatenus opus sit denuo edidit, roburque Capituli Generalis perpetuis futuris temporibus ipsis adjecit, & sub pœnis in eis contentis, & aliis ad arbitrium nostrum infligendis, publicari, & ser-